

007
Lsp

Tom 74

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.

37.

DISSERTATIONEM
DE
LAMINIS
ET PRÆPRIMIS
DE
LAMINIS STANNO
INDUCTIS
INDULGENTE
AMPLISSIMA FACULTATE
PHILOSOPH. LIPSIENSI
EXHIBET
P R A E S E S
M. IOH. IACOBUS Gottschaldt,
EYBENSTOK. MISNIC.
RESPONDENTE
George Linke / CROSNA-SILES.
DIE XXXI. DECEMBER. MDCCXI.
—
LIPSIAE,
Literis BRANDENBURGERIANIS.



*Nobilissimis, Amplissimis atque Specta-
tissimis Viris*

DOMINO

GOTHOFREDO Gottschaldt/

Hæreditario a Wiltenthal & Mul-
denhammer/

Patruo meo longe astutissimo;

DOMINO

IOHANN. Gottlieb Gottschaldt/

Hæreditario a Reidhartthal /

Fratri meo charissimo;

DOMINO

IOH. HENRIC. Gottschaldt/

Hæreditario a Wiltenthal & Mul-
denhammer/

Fratri meo suavisimo,

Thema hoc cum debiti cultus contestatione
sacrum esse voluit

Præses.



PRÆFATIO.

Presentem, quam conspicis, Lector Benevole, materiam exponentes, variis simul judiciis nos expositos esse novimus, isto utilitatem, hoc soliditatem tractationis hujus desiderante. Aet prius adeo non curamus, ut potius quicquam de illo, utilitate scilicet addere erubescamus. Usus enim laminarum adeo frequens & necessarius est, ut ipsis vix ac ne vix quidem carere possumus. Arguere ergo te possunt, innumerae, quas adspicis, res e lamina confectas inscitiae, si ipsis notitia prorsus temet fugiat; quia & atramentarium tuum, (si quod ex ista materia compactum habes) ex quo orbi literario doctissima queque communicas, pennam hic sistere jubebit, si stud contemplans deprehensam tuam notitiam, alioquin versatissimam, videbis. Probe quidem novi, neminem hactenus laminarum vel aurearum, vel argentearum, vel ferrearum expositionem suscepisse, quare & ego rem plane obstrusam & absconditam latebris suis tenebris erucere primum non sustinebam, ne forsitan in elaboratione soliditatem desiderare possit solidior, sed penitus rem mecum perpendens, gratulabar tandem mihi, si rei adeo obscuræ lucem quandam accendere possem. Praterquam enim quod materia ista mibi jam a pueris nota, siquidem B. Parrens fabricas laminarum per multos annos curavit, Fraterque meus charissimus istas adhuc tuctur. nulli tamen insu-

per sumptui aut labori pars ut puriorem mihi istius param notitiam. At liceat desudarem omniaque moverem, plurum tamen aberat, quin incassum abirem, nam quis est qui ignorat istius rei in libris sterilitatem vastamque solitudinem? Neutquam igitur stupeas, L. B. citationem auctorum in hanc rem, ut videtur, minime quadrantium, nam cum neminem, ut dictum, qui rem vel superficiario tantum labore delineaverit, habuerim obvium, corrasa varia ex variis. Cæterum si Tibi, L. B. aliquid succurrat, preprimis de laminis stanno inductis, communices quoſo eadem nobiscum, ut posteriori disputationi inserere valeamus, nec ingratos nos experieris.

PRÆLIMINARIA.

§. I.

DE nomine laminarum itaque solliciti observamus istud etiam scribi & efferri *Lamna* juxta Horat. L. II. Od. 2: & Epist. XV. L. l. accedens hoc modo propius ad sumum derivatum Græcis mutuatum sc. λάμνα, quod denotat lamellam. Nomina, quibus Hebræi, Angli, Gallique vocem hanc exprimunt, brevitatis ergo sicco transimus pede.

§. II.

Sive igitur lamnam sive laminam dicas utrinque varias deprehendes hujus vocis significaciones. Lamna enim dicitur simul species Canis marini, v. Bocharti Hierozoic. P. II. de Ceto Jonæ Lib. V. C. 12. Lamina vocatur quoque auricula, vid. Arnobium adversus Gentes L. II. Laminæ nomine venit porro putamen istud, quod in nuce discriminat partes nuclei. Laminam appellant Medici partem in eriore & exteriorem cranii. Pronunciatur & de folio aurif vel argenti. In hunc sensum verbum istud rapuisse videtur Plinius L. 21. C. 2, in Hist. Nat. Sed quemadmodum hæc Plinii in defectu, sic Buddei verba in excessu peccare videntur, nam iste in Physica sua C. 3. §. 17. de metallis laminam crassum ferri pondus nominat. Sed chalybs non e laminis, sed è crasso ferri frusto non

non unquam formatur. Laminæ appellationem accipit etiam lorica, v. Glossarium Carol du Fresne, & Grævium Tom. 10. Antiquit. Lamina porro audit lignum ad formam lamine scissum & formatum, v. Plinius Lib. XV. Cap. 43. Nomine laminæ denique insignitur instrumentum, quod in venis durissimis exscindendis adhibetur, v. Agricola de Re metallica L. 6. Vi- trum etiam laminarum figuram habens dicitur laminav. Salmas. in Plin.

§. III.

Ignoscas L. B., quod verborum allegationibus ex Autoribus citatis prorsus abstineam, nam facilissime ista describere, paginaque nonnullas iisdem oblinere potuisse, sed mihi nequit in animo est, Tibi fumum bracteataque quasi verba vendere vel obtrudere.

§. IV.

Istud vero quod Veteres Laminam nuncuparunt, insimul etiam vocarunt Bratteam, Bracteam, Bratteum, Blattteam, hinc Bractearius, Bratteator &c. vid. Glossar. Card. du Fresne. Litigant vero inter se met, an Bractea ἀντὶ τῆς θείας vel βεβαῖας descendat. In notis ad Hist. August. non αὐτὸν τῆς βεβαῖας, sed αὐτὸν τῆς θείας derivatur. Contrariam sententiam vide in Grævii Antiquitatibus Tom. 9. ubi Bractea a θείᾳ dicitur, quod est ηχέας crepitare. Hos vero hac via conciliare posse puto: si bractea significet folium auri ad summam tenuitatem deductum, uti in notis ad Hist. Aug. sumitur, ut & apud Rosinum in Antiquit. derivatio αὐτὸν τῆς βεβαῖας, hoc quadrare melius videtur; si vero significet partem metalli in latitudinem deductam, ita ut ob tenuitatem incurvationi non adeo resistat (observes enim quod licet bracteam a lamine diversumque esse invenias, multoties tamen cum ista convenire & vice versa laminam cum bractea) planior derivatio fit αὐτὸν τῆς βεβαῖας strepo, sono. Talem bracteam intelligit sine dubio Martialis Lib. VIII. Epigram. 33. nam etsi illam sputum nominat, quod in imo licet nebulam dixerit in eodem epigrammate, non tamen folium auri, sed potius propriæ laminam intelligit joco ista nomina phialæ

imponens. Quid vero Excellens Agricola Lib. VI. de Re metallica per bracteas sibi velit, non satis intelligo, inque longe alium sensum e contra vertit Lib. VIII. de natura fossilium. Quod ad duplicem nominis rationem attinet, quam ab eruditis illi vindicari dixi, malim in universum acquiescere in eorum sententia, qui a βεγάχεω derivant. Ita sentit etiam Beccmannus in Originibus linguae latinae p. 300. qui illud έγαχεων confert cum Hebr. פְּנָנָה. Breviter & concise cuncta persequens prolixiori onomatologia in praesentiarum supersedeo religioni mihi ducens adductione derivatorum, quae in Lexicis passim occurunt, & Tibi L.B. & mihi molestiam creare. Conjungo itaque cum his

PARTEM GENERALEM DE LAMINIS.

§. I.

Priusquam longius progrexi licet, præmittenda est omnino laminarum definitio, quæ hoc verborum habitu vestitur. Lamina in genere est frustum metalli in latitudinem ad flexibilitatem usque deductum variis usibus destinatum. Objiciis forsan, quod laminæ etiam repertiantur atque appellantur, quæ hanc definitionem non ingredi possunt, e. g. illæ, quarum mentio fit in Hist. August. p. 550. de Aureliano, sed observes velim has non proprie, sed improprie Autores ita appellare.

§. II.

Non vero sine ratione dixi, quod sit frustum metalli. Placet enim hic in genere adhibere vocem metalli, quia varie species metalli varias gigunt laminarum species. Offendes enim laminas aureas, argenteas, æneas &c. sed aureæ ut nobilissimæ primo loco nunc mihi merito enumerandæ sunt. Origo istarum vel cæterarum perobscura est & incerta. Hoc tamen certo certius est, earum usum jam per tres millenarios superiori memoria invaluisse, nam earum mentionem initit Mo.

Moses Exod. 28. v. 36. quod quidem B. Lutherus vertit Stirnblad / in fonte vero reperitur V^YS sicut & idem e contrario I. Reg. VI. v. 30. vocem Blech adhibet, quam tamen in Hebraico textu non repieres. Nunc quidem usum cognoscendi cupidum ad literas sacras alegare possem, in quibus luculentus descriptus est. Compendium tamen hic faciam alle-gando præcipua: Usus scil. vel fuit sacer, vel profanus. De usu Sacro vide Exod. XXVIII, 36. It. Polydorum Virgil. Lib. IV. C. 5. dicentem: Ultimum vestiebatur lamina aurea Pontifex, nec cuiquam ista uti integrum est. Confer. I. Reg. VI, 30. ubi etiam usus sacer observatur. Fuit vero usus iste etiam Profanus, v. Es. III, 19. scil. ornatus muliebris, qualis etiam se exerit in nummis, v. Joh. Christoph. Olearii Curiose Wissenschaft p. 37.

§. III.

Præter aureas vero argenteas etiam laminæ notæ sunt ex II. Reg. XVIII. vers. 15. & 16. ut & Jer. X. 9. ubi vocantur argentum extensem, vid. & Svetonium in Calig. C. 2. adde Jouberti scientiam Numismatum, ubi dicitur, quod jam in Augusti Triumviratu coepit fraus, qua as tenui argenti bractea obductum fuerit. Sic & Alexander ab Alexandro refert Lib. IV. Gen. Dierum frustum abscissum laminæ monetæ vicem sustinuisse. Ex quibus omnibus patet, quod lamina argentea omnino nota fuerit. Admirationem itaque non parvam excitant verba in notis ad Hist. Aug. p.m. 550. ubi dicitur: Argentearum Bractearum nemo meminit.

§. IV.

Ast neque æneæ sive æreæ Veterum effugiebant notitiam. Ita docet ex Polybio Grævius in Antiquit. Tom. X. Plerique inquiens æream laminam duodecim digitorum ab omni parte eam pectori apponunt & vocant pectorale. Licet fatendum, quod hic impropus sensus vocis laminæ locum habeat, accutius rem attigit idem celeberrimus Grævius Tom. III. in quo differit, quod Gregorius III. laminis æreis tectum aperuerit, inque eodem Tomo dicitur as Coronarium, quod ad Coronas

efficiendas idoneum est & in laminas tenuatur. Ænearum mentionem injicit & Script. Sacr. Numer. XVI. vers. 38. ubi רְקִיעַ פָּחִיד expansiones laminarum dicuntur.

§. V.

Æreas excipiunt nunc laminæ Plumbeæ, quibus præsertim ædes teguntur, quale tectum habet nobile palatium Patavinum, Aquisgrani templum sanctæ Mariæ, templum Spirensis & multa alia loca: vide Agric. de natura fossilium Lib. VII. p. m. 645. Singularis plane usus laminarum plumbearum observatus fuit in athletis, illi enim easdem adhibebant noctu renumque loca iisdem contegebant, ne qua forsitan somniantes nocturna fallacia delusi vires per effluxum seminis mipuerent, v. Tom. 9. Grævii, ut & Gronovium in notis ad Lib. XVI. Plin. Hist. Nat. Nescio igitur, quomodo accuratissimus Salmasius ad Hist. Aug. Plumbearum inventionem recentiori ævo tribuere potuit.

§. VI.

His denique si addas adhuc orichalceas laminas, quæ quidem, ut cum Salmasio ad eundem locum existimamus, recentiori sæculo suam debent originem, si adhuc has addis, inquam, habebis laminarum species, quæ cum nostra definitione coincidunt, sed restant adhuc aliæ species laminarum enumerandæ.

§. VII.

Dantur enim etiam laminæ vitreæ, quæ gypso committuntur, v. not. Salmasii ad Plin. Plinius insuper longe diversam laminarum speciem inducit ex ligno confectam Lib. 16. C. 43. Hist. Nat. inquiens, ilex lecatur in laminas prætenues. Licetque mihi Cupreae laminæ etiam cognitæ sint, attamen ex libris de istis nil haurire potui. Conjecturam interim non adeo infirmam de laminis cupreis addam, quod scil. per laminas æreas cupreæ intelligi possint. Nitor vero testimonio Matthessi in Sarepta Conc. 7. assertoris: Das mercket ihr Bergleute/wo ihr tin der teutschen Bibel vom Erz leset/ da redet die Schrift vom rohen Kupffer. Hæc fere fuere, quæ de laminis memoratu digna duximus, ne itaque ista longius nos ab instituto nostro avertant, finem generalioribus imponentes progredimur ad

PAR.

PARTEM SPECIALEM

Sc.

DE

LAMINIS FERREIS STAN-
NO INDUCTIS.

S. I.

Ordine nunc cuncta persequentes in scenam producimus definitionem laminarum istarum, cuius hæc erit ratio. Lamina ferrea stanno inducta est pars ferri in latitudinem & longitudinem & ad flexibilitatem usq; deducta, præviisque actionibus preparatoriis stanno liquato superinducta. Ne mireris, cur iterum ad flexibilitatem usque adjecterim : nam dantur equidem aliae ferreæ laminæ, quas vocant Sturgblechi ad quas definitio non quadrare videtur, sed istæ non stanno illinuntur, & de his differet posterior disputatio. Nunc

S. II.

Materiam ex qua accuratiō iatuebimur oculo. Sed hæc ipsa moliens ad duas res explicandas me adactum cognosco. Enodandum scil. mihi est, quid sint laminæ ferreæ (ubi occurrit earum origo, causa efficiens, Modus fabricandi, Locus & usus) & postea quid sint laminæ stanno inductæ. Dum vero ad priora deducenda me accingo, ignoscas precor, B. L. si judicio tuo nimis late evager, nam si oculum unum in laminarum ferrearum originem intendo, necesse est, ut etiam insimul alterum in originem ferri, ex quo consiciuntur, coniiciam. Licet vero mihi varias sententias brevissimis lineolis uno paragraplio comprehendere & in altero meam qualēcunque ēx̄cipitū addere.

S. III.

Sed quanta eheu sententiarum varietas ! Bochartus Geogr. Lib. III. diversis in locis ex Ammiano, Arriano, Callimacho, Xenophonte, Pomponio Mela, Dionysio &c, asserit

B

Cha.

Chalybes primos fuisse, qui ferrum tractaverint. Plinius (ex quo & simul ex notis ejus, quas viri doctissimi texerunt, compendii gratia hæc addo) dicit: Ærarium fabricam alii chalyibus, alii cyclopibus tribuunt. Ferri fundendi modum Theodorum Samium invenisse ex Pausania constat: Idæi Da-
gylî ferrum primum fabricati sunt. Ex ferro Telchines primi varia fecerunt Georgius Calpar Kirchmayerus, Prof. P. Academiae Wittenbergensis olim celeberrimus, in disputatione de Metallo metamorphosi: 693. habita Adamum inventorem dicit, alii Tubalcainum sive Vulcanum (quem multi doctissimorum nominis allusioni inhærentes pro uno venditant, e. g. Borrichius, Vossius &c. quod ipsum tamen laudatus Kirchmaierus in citata disp. negat) inventorem statuit, & sic porro. Enigmitur sententiarum cumulum!

§. IV.

Expetis forsitan ut unamquamque nunc ordine examini subiectiamus & qua forsitan cum altera coincidat, vel quomodo inter se conciliari possint, monstramus; sed extra oleas sine dubio hæc examinando evagaremur: hinc tantummodo, ut veram indagemus, elaborabimus. Adamum itaque esse recte cum laudato Kirchmaiero inventorem ferri reputo, quoniam vero celeberrimus vir probationes hujus enunciationis, brevitatis forsitan gratia, non adjunxit quasdam, in medium nunc proferam. Magnum vero pondus hujus tententie accedit, si & ista firma stant talo, quæ Auctör der Curiösen Nachricht von Erfindungen und Erfindern sub voce Berg-Knapp memoria prodidit sc. Adamum & Eym concedisse post lapsum circa montem Libanum, ferrum inde eruisse cultrosque ex isto ad pecora, que immolanda erant, maestanda præparasse: Sed unde hæc Auctör hauserit, non indicat. Cum igitur constet sacrificia DEo exhibita fuisse ante Tubalcainum, qui Pater vulgo ferri creditur; istorum vero maestatio sine cultro & ferro, tunc temporis non facile admittenda est, certe magnum probabilitatis speciem præ se fert, quod Adamus Auctör & inventor fuerit ferri. Qui insuper pensitat, quod in agricultura, quam adamavit Cain, & res pecuaria, cui præfuit

fuit Abel, sine ferri auxilio haud facile concipi possint, non probabilem sed veram pronunciabit esse sententiam. Quinimo num quis ædificationem urbis à Caino factam excluso ferro sibi perfruadere poterit? Sed hæc, obijcies, S. C. Sacræ dñi ðæva sunt, utpote quæ Tubalcaïnum Principem omnium ferrum elaborantium appellat, Gen. IV, 22. Sed scias velim falsam esse interpretationem & versionis Germanicæ & Textus Hebraici, nam eo ipso, quod vocatur Meister, non tam inventio, quam potius exactissima elaboratio & politio indigitatur, verbumque Hebr. טָבַד quod Ben Melech vertit תְּבִדֵּל neutiquam inventionem sed informationem prodit, ad stipulatur huic sententiæ ex omni parte Gussetius in Comment. Ling. Hebr.

§. V.

Trahit itaque ferrum originem suam ab origine Mundi fine dubio, sc. ab Adamo (an immediate a DEo ut Bezaleel & Ahaliab edocitus fuerit, intactum relinquo) quo cognito in orbem redibimus originem laminarum ex isto ferro fabricatarum diligentius examinatur. Quid vero obstat, quo minus istarum auctorem Tubalcaïnum dicamus. Nam ex deductione dicti Gen. IV, 22. satis patet, quod non tam inventor, quam Magister ferri & rerum, quæ ex ferro conficiuntur, vocitandus sit. Probe euidem recordor, quod in Scr. Sacra laminarum ferrearum, ferrearum inquam, nulla fia mentio, nisi quod Ezech. IV, 3, de lartagine ferrea, quæ ex laminis ferreis fabricata sunt, quædam inspergantur, & Jos. XVII, 16. currus ferrei, i.e. falcati, juxta Bonfrerium, sed a silentio Script. S. ad non existentiam rei hic non valet consequentia: Genuinæ potius interpretationi dicti supra citati inhærentes non facile recedere possumus ab hac sententia.

§. VI.

Materia ex qua laminarum ex parte sc. quoad ferrum deducta origineq; earum, in quantum licuit, cognita, Causa illarum efficiens se nobis offert, quam partim Dominus officinæ Ferarum, partim Fabri ipsi subjecti constituta sunt. Quod priores sc. dominos officinæ attinet, satis nobilem, & si fabulis adjungenda fides, præfus Deum Bræcessorem agnoscunt. Nam eccl. Vul.

cano dicitur, quod officinam suam in montis Aetnae cavernis habuerit, cuius famuli fuerint Brontes, Steropes, Pyracmon, v. Natal. Com. Myth. Lib. II. Posteriores scilicet servi audient strixissime Bractearii vel πεταλογειον ut L. I. C. de Excus. Artif. L. 10. nominat. Si hos, qui ferreas conficiunt laminas discernis ab iis, qui ferreas stanno inducunt, quod quidem omnino fieri debet, coincidunt ferme cum fabris, quos ferrarios vocant, de quibus Pomponius Mela dicit, quod istis olim in lusu risuque sumnum Bonum fuerit. Strabo istos appellat bellicosos Lib. II. & XII. De vestitu eorum satis mirabilis scilicet industio cum succinctorio coriaceo nil amplius addam, quadrat vero in istos illud Maronis :

*Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
Brontesque, Steropesque & nudus membra Pyracmon.*

§. VII.

Modus, quomodo formantur laminæ ferreæ, ex definitio-
ne quidem aliquomodo patet, opera tamen pretium existimo-
planiorem de iis suppeditare descriptionem: Terra scilicet la-
pide ferrario fornaci magna (hohen Ofen) immixto & excocto
ferrum existit rude & crudum (Rauh Eisen) hoc ferrum,
quod formam prismatis haberet & simul (eine Gans) appellatur
igni purgatorio (frisch Feuer) subjicitur, in quo recrementa il-
lius separantur. Ferrum hoc purgatum rursus in ignem, in
quo ad laminas aptatur (Blech Feuer) inque longitudinem
extensem tantum, quantum uni laminæ sufficere videtur, ab-
scinditur. Tunc rursus huic igni subjectum ignitumque redi-
ditum dimidiati aptatur, quod dicitur Uhr wehlen: ha-
dimidiati aptatae laminæ mixto cuidam ex aqua & luto, quod
dicitur Hahnen Brey immerguntur, ne cohærent invicem,
hoc facto rursus igni traduntur & in laminas extenduntur.
Hoc modo laminæ nunc aptatae superficiarie tantum ampu-
tantur inque officinam bracteariorum deferuntur. Sic habes
L. B. modum conficiendū, quod laminas ferreas attinet, sri-
cum delineatum cum ampliora superflua hoc loco reputare-

§. VIII.
modo nunc exposito ad locum, ubi scilicet laminæ ferreæ for-

formantur, progredimur. Locus dicitur officina ferri vel officina laminarum, Germ. Hammer-Werk/in genere vel specialius Blech-Hammer. Hic tamen observes velim, quod longe aliud sit fabrica ferri, late & stricte sumta: nam fabricam ferri striete sic dictam, quæ hujus loci non est, possidet quilibet faber, qui soleas ferreas ungulis equorum aptat rotasque ferro clavis infixis circumdat, sed est iste minorum gentium: Sermo vero noster respicit officinam ferrariæ & laminarum longe excellentioris gradus. Est scil. locus pago non dissimilis, & ob ædificiorum & ob hominum multitudinem, privilegiis singularibus instructus, jurisdictione inferiore gaudens. Intrinsecum vero ejus statum non vividori tibi adumbrate possum colore quam si versibus Poetæ L. 8. istum describam.

- validique incudibus ictus
Audit i referunt gémitus striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum & fornacibus ignis anhelat
Vulcani domus -

Velut Diod. Siculus excursionem auri describit Lib. III. Huic operi qui prælunt, magna hominum copia utuntur, qui absque ulla intermissione die nocteque operantur. An officinæ hæcum officinis, quas commemorat Plinius Nat. Hist. L. II. C. [§ 6.] & Agric. Lib. VII. fossilem convenient, ad dubitari non debet, si specialissima quæque in applicatione omittuntur.

S. IX.

Non est L. B. quod omnia nunc loca in medium producam, in quibus laminæ ferreae conficiuntur, nam earum multitudine ad chartam quidem explendam, non tamen ad desiderium tuum implendum sufficere possit. Nam omnibus ferme in locis, in quibus ferrum funditur & tunditur formari (si non acutu formantur) possent, si lumperus permitterent. Caterum idem recorderis velim, quod longe alia ratio ferrearum, quam itanno inducatarum detur.

S. X.

Figura laminarum nostrarum est quadrata, differt tamen

B 3

lati-

latitudine & crassitudine pro diversitate appellationis. Ne interim Tibiscandalo sit figura laminarum ferrearum quam Agricola Lib. VI. p. m. 645. ob oculos sifit cave. Nam ego quidem quid per istas laminas velit, nondum fatis assequi possum.

§. XI.

Nil, ut arbitror, restat, quam ut laminarum ferrearum usum nunc evolvamus. Usus vero laminarum istarum vel consideratur, qualis fuerit apud veteres, vel qualis sit apud nos. Quod priorem concernit, tenendum est, quod apud veteres laminarum ferrearum usus valde execrandus fuerit. Adhibebantur enim ista ad Christianos cruciandos, ita ut prius ignitz redderentur, vid. in Grav. Antiquit. Tom. VII. & Korthold. Eccles. Hist. ut & Gronov. p. 3699. Melior vero usus obtinebat in iis, quibus laminæ hæ inserviebant ad protegenda corpora a venenatis serpentibus, v. Godelcalcii Stewechii notas in Arnob. p. m. 66. nee minoris utilitatis erant istæ laminæ ferreæ, quibus protegebant corpora sua ab hostibus, v. Carol. du Fresne sub voce *lumina*. An inter laminas in genere metallorum dictas a Madero in præf. ad Schmid. Biblioth. c. vet. in quibus rerum memorabilia sculpebantur & consignabantur ferrea insimul referenda sint, ambigo, cum istæ minus aptæ sint propter ferruginem, cui expositæ sunt ad memoriam rerum in seros posteros transplantandam. Usus vero nostrarum laminarum tam multiplex tamque varius est, ut mibi istum enumeraturopius verba quam res deessent.

§. XII.

Adjicienda denique mihi essent variae laminarum istarum species, sed non sine ratione istas posteriori disputationi, in qua insimul species laminarum stanno illitarum enumerandas sunt, reservaturus, in hac omitto. Nam quemadmodum istæ in commercio, sic & in disputatione cohærent, necesse est quo primo intuitu omnes species laminarum dignoscere possis; Præsertim cum me inenucleandis laminarum ferrearum circumstantiis longius, quam quidem animus fuit progressum esse sentiam. Ad alteram igitur partem compositionis hujus me confero scil. ad stannum; sunt enim laminæ stanno illite. In hujus explicatione itaque rursus de stanno quædam præmittam, & deinde

de laminarum Causam efficientem, Modum consciendi, finem
& usum, originem, species, figuram, locumque, in quo forma-
tur, subjungam.

§. XIII.

Circa stannum vero, quo inducuntur laminæ ferreæ, varia
possent ventilarι, sed ne limites transcendamus in compen-
diū mittamus omnia. Ante omnia vero origo illius inve-
stiganda est cum sine cognita origine stanni & origo lamina-
rum stanno induclarum nequit quā cognosci possit. Sed dōleo,
quod & hujus origo magnis sit involuta tenebris. Hoc inte-
rim certum est, & ex script. S. patet, quod stannum antiquis-
simis etiam cognitum fuerit populis: sic jam mentio stanni sit
Num. XXXI, 22. Aristoteles de mirab. audit etiam stanni
mentionēm injicit ἡπαγαντυνύμινα αὐτῷ καστίεσ. Græcia &
præprimis Syracusis olim jam stannum ejusque usum inno-
tuisse constat ex Alexandro ab Alexandre p. 1059. nam Diony-
sius ex stanno conflat nummos. Nec Romanis stannum i-
gnotum erat, sed vario aecomodabant usui, nam sic de sua jam
estate loquitur Plinius Lib. XXXIV. C. 17. Stannum illitum
aneis vasis, saporem gratiorem facit & compescit aru gnis vi-
rus, &c. En hic exemplum de stanno inducto! sed de hoc infra. In-
terea tamen asseverare audeo, quod Romanorum in terra stan-
num non fossum fuerit, vel saltim non magna copia. Nam
Bochartus in Geogr. dicit e Briannia stannum per Gallos fe-
rebat ad Venetos, conf. Plin. Lib. VII. C. 36. Patet itaque
hoc modo & locus, in quo stannum dignitur sc. in Anglia præ-
primis, non tamen exclusa Germania & præsertim Saxonia,
quod notissimum de ista, vid. Bochart. l. c. ubi ῥετανη dicitur
Barth אַכְתָּב Syrice quasi ager stanni vel plumbi, ut ipse explicat, v.
Joh. Chamberlayne in present state of Great Britain.

§. XIV.

Lubentissime nunc meo de stanno discursui finem impos-
titurus meque ad laminas ipsas collaturus essem, sed necessa-
rio mihi denominandum est, quale stannum sit, quo laminæ
inducuntur, nam variae dantur ejusdem species satisque ob-
scure in libris enumeratae sunt. Tentabo itaque, an clariori-
bus

bus verbis Tibi istas exprimere valeam. Si vero de obscuritate dubitas, evolvas modo Christoph. Encelium de re metallica Lib. I. Oedipus sane hic non sufficit, dolendumque tantummodo, quod titulo Uncenbrenner eos insigniat, qui dissentiant, quem quidem titulum quilibet, cum istum non intelligat, facile reportare poterit. Verba ejus satis ampliora mihi videntur, quam ut adducam, adeoque Lectorem illuc remitto. Longe clarius totam rem Agric. de Nat. Fossil. Lib. VII. proposuit. Plumbi, inquit, tria sunt genera, unum candidum, alterum cinereum, tertium nigrum, plura, vide ibidem. Cinereum vocat id, quod nos Bisemutum vocamus. Nigrum quod nos plumbum absolute dicimus, & candidum denique, quod nobis stannum audit. Notari tamen hic meretur per vocem stanni, Et. I. 25. ut Piscator non incongrue explicat simulationem indigitari; nam similis est splendore argento. Huc inclinare videntur, qui dicunt, quod καρπίτρεον à κάρπαι, meretrix, originem trahat, videtur enim argentum, nec est, & meretrix videtur virgo, nec est.

S. XV.

Aggregienda nunc est tractatio ipsa de laminis stanno inductis, sed ecce finienda eadem nunc tota, nilq; nisi præcognita quedam de iisdem, quæ tamen maxime necessaria fuerunt, exhibere potui. Vides equidem L. B. brevissime a me cuncta proposita esse, sed licet brevitati maxime deditus fuerim, præter opinionem tamen pagina rebus ad hanc materiam cognoscendam necessariis referat, me a commemoratione specierum causæ efficientis, originis &c. hac vice, excludunt. Referanda itaque sunt Disputationi Posteriori, cui etiam, si quid in hac omnissimum, atque mihi indicatum fuerit, (quod a Temet L. B. obnoxie efflagito) inserere non gravabor.

Tantum hac vice.

COROLLARIA.

- I. Sensus non quinque sed unus datur. II. Animalia esse in toto corpore & totam in qualibet parte, rationi videatur contrarium. III. Animalia neutriquam sunt machinae. IV. Agitatio mentis in corpus non potest concipi, V. Σιδηρόξυλον non potest esse in intellectu objective,

Ab:155 159



#

5b.

V018

V017



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



TIONEM

I N I S

RIMIS

S T A N N O

C T I S

ENTE

F A C U L T A T E

L I P S I E N S I

ET

S E S

B U S Gottschaldt,

M I S N I C.

ENTE

C R O S N A - S I L E S .

BR. MDCCXI.

I A E ,

B U R G E R I A N I S .